

Tentamen medicum inaugurale, rei medicae vicissitudines summatim perstringens / [John Fletcher].

Contributors

Fletcher, John, 1792-1836.

Publication/Creation

Edinburgh : J. Ballantyne, 1816.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ajkqpwp6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

(12)

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
REI MEDICÆ VICISSITUDINES
SUMMATIM PERSTRINGENS;

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JOANNES FLETCHER,

ANGLUS

Cal. Aug. horâ locoqne solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

MDCCCXVI.

TRINITATIS MEDICINA
UNIVERSITATIS
REI MEDICAE AC ISSUDINIS
SOCIETATIS PESTALOZII

LIBRARY
MEDICAL LIBRARY
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES
1972-6496 H-949-1
MEDICAL LIBRARY UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY

THE UNIVERSITY LIBRARIES CONSULTATION LIBRARY
OF THE MEDICAL LIBRARY UNIVERSITY OF TORONTO

322291



TENTAMEM MEDICUM
INAUGURALE,
REI MEDICÆ VICISSITUDINES
SUMMATIM PERSTRINGENS.

AUCTORE JOANNE FLETCHER.

MEDICINA ars est perhibenda cui corpus humanum materia subest reficienda, remedia vero arma quibus est elaborandum. Cæteris autem cunctis artibus, ut quisque rei instaurandæ probe calleat structuram et dotes prius necesse est quam aggrediatur, deinde ut usus instrumentorum sit solers; quod perinde et in medicina fieri, facile conjici potest.

Quod si hoc aliquatenus verum est, tamen comparationes hujusmodi, inter res inanimatas et corpus animale, plus justo non sunt torquendæ. Etenim cum illarum proprietates faciles sint intellectu et interdum necessariæ, utpote quæ iisdem armis quibus sunt confectæ item dirigi et refici debent, corporis contra munera prout vita pendeant penitus callere nequeat ullus, quin et quisque homo hæc eadem satis bene dirigit, duce natura, etiamsi qua ratione fiant nihil adhuc moratur, nec qualia sint omnino animadvertisit. Sed hoc sanitatem integram—quod si quando aliquid irruperit ægrotationis et ad medicum tandem ventum fuerit, eum saltem oportet quantum licet de corporis natura perceperisse, cuius est vel ipsam naturam ordinare. Itaque ex indiciis morborum scire qua parte corpus maxime laboret, et quomodo optime sublevetur, utique debet; atqui nullum opus est vel eum naturæ arcana nimis curiose perscrutari, unde error

citius solet oriri quam utilitas. Quî enim ea percipere licet, quæ scientia absolutissima rerum unde proxime (pro nostris saltem facultatibus) pendent, neutquam detexit? Siquidem vero adeo inepti sensus nostri certiores, quanto fallacior ratiocinatio—quanto adhuc perniciosior collatio extrinseca, nusquam quidem non suspiciosa, hic vero prorsus inhabilis. Veruntamen hujusmodi ratiocinatione et comparatione, omnes Medicinæ Theoriæ (quas vocant) semper innisæ sunt; quarum pleræque quæ hucusque in medium prodiere multo magis cohibuere artem, neque mirabile, quam promovere.

Quin imo medicina cum reliquis artibus pari passu nunquam progressa est, ex hoc potissimum uti ego opinor, quoniam leges corporis animalis utcunque sibi propriæ proprium studium nunquam sibi vindicavere, quin semper in normas alienas nimis tenaciter sint collatæ. Cæterum quam inutiliter homines tali-

bus argutiis plerumque versantur hinc appareat, quod omnia fere quæ in medicina (unde semper intelligo curationem meram morborum) hactenus bene cesserunt, ex principiis longe diversis orta animadvertisimus. Dum hæc subinde mecum revollo, historiam medicinæ leviter conflare statui, quo uno quasi aspectu mutationes in hac arte omnes notabiliores considerentur.

Inter initia Artis Medicæ putandum fuit medicorum munere fungerentur ipsi sibi ægroti, contra mala sua quantum poterant contendentes; quibus et necessarii ministra- rent, in consilium procul dubio habentes (sic ut et hodie quodammodo solent) qualescun- que hoc similive morbo sive ipsi unquam ægro- tassent, sive quemlibet ita implicatum cogno- vissent unquam, aut fama accepissent. Et profecto sic sitas res fuisse rescivimus inter Chaldaeos Babyloniosque, quos ferunt olim ægrotantes in stratis suis per vias publicas eo

obtulisse, ut singuli viatores consilio, pro cuijsque sapientia, miseris opitularentur. Tum quod ad gentes vicinos, Persæ medicis ex suis diu carentes primum ex Egypto, deinceps e Græcia medicos sibi accesserunt : et quod ad Judæos quantula iis obtingebat medicinæ peritia, hanc maxima ex parte sibi arrogavere Sacerdotes et Levitæ, eodem nomine ac inter alios exterios tum Bramimæ tum Druidæ medicinam soli exercuere.

Verum apud Egyptios demum scientia (ut ita dicam) medicinalis initia accepit, quamvis et hic quoque religioni, seu potius superstitioni humillimæ, arcte alligata, miserrime, ut oportuit, compediebatur. Namque cum olim ediderat Tot quidam, inter eos celeberrimus, scripturas sex medicinales, harum mandatis ad amussim parere medici vel Pastophori obstricti sunt, hac lege ut si quando aliquis quantumcunque defecerat, modo forte mors ariperet ægrotum ipse medicus capite illico

multatus esset. Qualis ergo fuit sub initio
ars, talis in æternum perstare debuit, omni
spe cultus felicis radicitus evulsa. Sed inter
eos, velut mos erat et apud veteres Græcos,
quæstus suus unicuique medico, ab avis more
hæredioli, demittebatur ; quin etiam quisque,
sive ex lege, sive propter eorum multitudi-
nem, unicum curabat morbum, unde speran-
dum esset fore ut singuli, pro suo quisque ma-
lo, aliquid peritiæ paravisset, præter inauspi-
catum illud interdictum de quo supra posui.
Quod ad eorum remedia, inter ea carminum
incantamentorumque sat superque ubique sca-
tet ; tum a sanguinis missione parum abhor-
rebant, neque cremare moxam ad carnem ex-
edendam nimia religio erat ; ad hoc subinde
purgandum esse corpus censebant, utique vo-
mitu, propterea quod hoc tam æquabili cælo,
nusquam oriri causas morbi præter quas ipsum
sibi gigneret corpus, judicabant.

At in Græcia prisca, siquando quis morbo

laboravit, ad oracula deorum recta confugere solenne fuit, in quorum iracundiam nimirum (neque singulares) mala hujusmodi conferre semper solebant. Itaque in principio Apollini erat negotium tam ægrotantibus medendi, quam res futuras prædicendi ; sed postquam hoc uberius perceptum fuerit officium, illud brevi repudiavit. Tantum vero artificium artificem diu desiderare non potuit : proinde quæstum sibi accepit Æsculapius, qui templum Medicinæ statuit, filiusque Apollinis exinde salutatur. Et pari ratione medicina apud eos, per longum ævum, heroium, poetarum, sacerdotum in manibus erat ; quorum, utique proximorum, præstigias Aristophanes Lucianusque argute proposuere.

His autem temporibus, ubi quemque morbum cuius natura haud ita manifeste patuit, a propria ira cujusdam numinis pendere censabant, nihil aliud agendum videbatur, quam ut ad hoc pacandum sese gnaviter accingerent.

Tales ergo perstabant usque dum primum af-
fusere Philosophi medicinæ doctrina et usus,
hic inanis omnisque consilii expers, illa (si-
qua quidem esset) tenebris opacissimis undi-
que obvoluta.

Atqui tum demum hominum ingenia usque
adhuc horrida adeo et otiosa, satis superque
expergefacta, omnigenis rationibus, imo et
ratiocinationibus quoque, mirifice versaban-
tur.

Jam enim jaciebantur plurium in medicina
doctrinarum recentiorum fundamenta. Quip-
pe ex Pythagoræ placitis de vi numerorum et
de quatuor elementis, quin etiam ex Heracli-
ti sententia de igne quodam creante et con-
servante, item ex doctrina quam tenebat De-
mocritus de motibus atomorum, omnia fere
quæ in medicina proposuerunt recentiores ori-
ginem duxerunt: denique ab Acrone tunc
temporis Agrigentino Sceptico, orti sunt et
Empirici, tanti postea nominis. Verunta-

men curationem mōrborum tum primum quodammodo normatam accipimus, ubi Herodus disciplinam suam gymnicam instituit. Sub hac vero, quoniam nimirum sanos homines exercitatione certaminum sorpitari animadverterant, miseri ægroti, quasi satis ærumnis suis nondum vexati, omnibus hujusmodi cruciamentis objiciebantur; et quali fere successu nemini dubitare licet.

Herodicum exceptit Hippocrates, Pater ut jure nuncupatur medicinæ, utpote qui hanc artem, altera parte ab empirice inepta, altera, a somniis philosophorum, primum vindicavit. Horum autem sententias adeo non fastidivit, ut ipse etiam doctrinam illam protulit celeberrimam de quatuor humoribus eorumque proprietatibus, de totidem corporis temperamentis, et de diebus criticis; omnia sane Pythagoræ placitis convenientia, cuius tunc temporis philosophia, una cum Heracliti, animos hominum participabat. Hippocratisvero max-

ima est laus, quod nulli rationi utcunque speciosæ tam fuit proclivis, eademque adeo obcæcatus, quin omni diligentia ad rem ipsam talem qualem præbuit natura considerandam, animum attenderet. Proinde pretiosissima ejus operibus ea sunt unde morbos cognoscere, eorumque casus portendere, docemur. Parum equidem de intima corporis fabrica, et de variarum ejus partium muneribus, percipiebat; porro remedia quibus utebatur pauca erant et simplicia. Cæterum viro illi illustri, disputationes de causis abditis morborum magis in curiositatem habitas quam in utilitatem videtur; quippe quæ vel neutiquam attingi sese concedant, vel parum admodum plerumque valeant ad ipsos morbos tollendos.

Haud ita multo post Hippocratis tempora, moram utique inauspicatam felici artis medicæ profectui opposuere Plato et Aristoteles, qui revera (ut inquit Bolingbroke) sinceræ scientiæ negotiis magis nocuerunt quam etiam

Gothorum et Vandalorum incursions. Jam enim homines, a via ista recta tutaque quam modestus incesserat Hippocrates, maximeque dignus quem sequerentur, his ducibus, per itinera peregrina, tortuosa, lubrica, hallucinabantur, eorum judicio communi misere truncato, omnia se pulcherrime callere sibi persuadentes—nihil interim callentes. Hujus talis disciplinæ, animis hominum adeo blandientis, auctoritas per bis mille fere annos pollebat; quod inter ævum; quantus obsecro, et quam faustus fuisset medicinæ cultus, modo si hominibus permisum esset per planam semitam indagationis progredi, oculos minus attonitos ingeniosorum (quod aiunt) pompis gloriosis. Væ tali ingenio—væ maxime istiusmodi ingéniosis, quos penes fuit quod medicis, ineunte tandem seculo sexto decimo, eo pene fuit auspicandum, ubi ipso Hippocrate res est tam olim relictæ. Modo autem Alexandria sedes facta est ubi medicina sedule coleba-

tur, ibique corpora Herophilo tum primum et Erasistrato dissecabantur. Sed iis adversatus, omnique de rebus medicis studio expiscanti, expendenti, ratiocinanti, Serapion Acronis scepticam restituit, scholæque empiricæ auctor fuit. Et eum audientes nihili faciebant ad sanandos morbos corporis proprietates percipisse, quid prosperam valetudinem, quidve adversam faceret, usu demum et experimentis nitentes. Neque quidem inficias est eundem tales cultores arte medica eo bene meruisse, quo habitus morborum, quæque eos vel juvent vel lædant, toto animo annotabant ; disciplina profecto cum certior, tum multo utilior quam quævis nimis curiosæ de rebus fictis disputationes. Attamen hos inter et Dogmaticos lis iis temporibus orta est, vix hodie quidem pacata ; atqui in utramque partem cadit invicem suspicio, ad palmam potius hosti extorquendam, quam propter studium veritatis, eos tam acriter semper certavisse.

Etenim revera nullus locus omnino est certaminis nisi verborum causa. Ecquid enim potuerit argumentatissimus unquam dogmaticus, citra usum et experientiam? Quin etiam empiricum, rationis adeo suspiciosum, sæpenero secum disceptasse verisimile est, quando ipse rem forsan parum animadvertisit. Postremo quid stultius—quid magis præpostere fieri unquam potuit, quam ut bellum mutuum indicerent, jurgiumque inirent, quibus, tum ad utriusque utilitatem, tum ad subsidium ipsius artis, pace et vicissim adjumento opus erat?

Talis igitur comparebat medicinæ facies ubi Asclepiades emendationem ejus Romæ suscepit. Is vero in Hippocratis sententiam de corporis humoribus discedere fastidivit, ejusque de diebus criticis doctrinam crassa quadam facetia derisit. Veruntamen cum Democrito sentire de motu atomorum non perinde penituit, quin omnigena mala in meatus,

qua his iter fuit, quodammodo vitiatos semper contulit. Ægrotantes censuit sanandos cito, tuto et jucunde, licet suæ medicinæ jucunditas adeo non fuit perpetua, quod idcirco vix non tanquam carnifex a Celso exprobratur. Denique quod ad institutum ejus solenne curationis, id, quantum percipere licet, propemodum idem fuit ac olim Herodici, præter quod mitius aliquantulum, pro hominum vita tum dierum nonnihil cultiore.

Et pari consilio Themison postea Thessalusque disciplinam methodicam condidere, ut quæ methodum simplicem et compendiariam ad morbos cognoscendos curandosque præberet. Quippe in unoquoque morbo, corpus aut nimis strictum esset aut nimis laxum oportuit, vel denique (quod næ subtilius quam facile intellectu) nimis in utramque partem inclinatum: humorum interim proprietatibus ne minima quidem ex parte consultum est.

Hi autem quemadmodum disputare et medicinam facere solebant, Cœlius Aurelianus per se potissimum docet; quin is insuper eam formam curationis depingit, qua varia remedium pericula, si quando morbus pertinacior esset, methodica serie producebantur, dummodo corpus sustinere morbum simul et mendlam non recusavit. Quod si nullius in verba magistri jurare solebat, neque in res novas nimis gestiens sed summa passim modestia, Celsum prorsus silere nequeo, qui annos aliquot ante Aurelianum floruit. Is enim libello quem eximia prudentia et venustate conflavit omnia in prisca medicina utilia fere complexus est, opes omnium sedulo libavit, nugas respuit, et sive Hippocratem sequi sive Asclepiadem nihil moratus est, prout utrius consilium plausibilius videretur et meliore fide. At eo tempore, quod quidem jam olim mos fuerat, artem medicam tripartito distribuere auctores solebant, quandoquidem una parte ali-

mentis, altera medicamentis, tertia manu erat pugnandum. Itaque de victus ratione, tam integræ valetudini idonea quam quassatæ, more veterum Celsus omnia sigillatim et summa cura exposuit; ad hoc præcepta ejus quod ad chirurgiam vel nostris temporibus minime sunt contemnenda; cæterum medicamina rarius intro in corpus mittenda quam extrinsecus admovenda censuit, sed hac in parte hodiernos minus quam alias adjuvat.

Neque ita multo post Aretæus, alter quasi Hippocrates, in medicinæ theatrum prodiit. Is inter medicos pneumaticos, novum genus nimirum methodicorum, cui hic solum fere constat decus, annumeratur. Tamen ut philosophiam ejus missam faciamus, ad usum artis Aretæus auctor prudentissimus nunc etiam dierum habetur et semper habebitur, quippe quem judicio et summa diligentia, quod ad morbos ipsos, nemo hominum unquam superavit; et eo quidem nomine, hunc

Hippocrati inter veteres, inter recentes Sydenhamo comparare licet. Neque silendum est Aretæum vesicatoria ex cantharide in arte medica primum usurpasse.

Huic æqualis, quantum conjectura assequamur, erat Galenus, cuius brevi adeo pollebat in rebus medicis auctoritas, ut eum vel citare absque summa observantia per plura secula nefandum esset. Tunc vero (ut temporibus illis) systematum plena erant omnia, sed Galenus se nullius sectæ omnino professus est. Modo inter eum et Hippocratem de quatuor rerum elementis convenit, item de quatuor corporis humoribus, et de quatuor temperamentis hominum; ad hoc Galenus medicamenta etiam pro eorum quatuor proprietatibus partitus est. Quin et indicia morborum prout in functiones animales, vitales, naturales adoriantur (digestio hodie receptissima) ordinavit, necnon pro eodem ordine, morbos

alium ab alio dignoscere et de eorum exitu augurare docuit.

Postremo vix non omnia quæcunque in medicina versantur cumulate pertractavit, quæ licet paucos quidem reor nostris temporibus inveniendos qui tota perlegerint, tamen minime est negandum quin recentiores his rebus haud parum amplificaverit. Quod ortum est a Galeno mali, eo ortum est, quod homines eum rem tandem absolutam dedisce crediderunt, unde spes omnis, omne studium ultra progrediendi ex toto perierat; ideoque per longum post ævum, nihil fere in medicina prolatum est, præter commentaria insulsa in ejus et Aristotelis (summa semper apud eum gratia) argumenta.

Paulo post Galeni tempora Græcia denuo artium domicilium facta est, verum hujuscæ ætatis scriptores vix aliquid edidere novi, nisi quod fortasse Paulus Ægineta arti chirurgicæ satis feliciter operam impertivit.

Jam enim in medicinæ profectu hiatus tristis, turpis, inutilis, octo secula penitus devoravit, de quo tam diuturno ævo vix aliud quicquam dici potest quam quod nihil est dicendum. Sed interea rerum publicarum fortuna, per varios casus, Arabicis medicinæ cultum tandem assignavit. Quippe cum Hippocratis, Aristotelis Galenique opera ex deflagratione bibliothecæ Alexandrinæ correpta, in eorum potestatem traderentur, his tantis usi ducibus, ad artis salutiferæ studium sese accommodavere ; et siquid in rem ipsi jejuniores unquam contulere, id, his insignibus Antiquitatis monumentis protinus insertum et commistum est. Et in hoc operis Rhazes, Avicenna, Albucasis primas partes sustinebant. Cæterum Arabicis jure permittendum est quod artis chemicæ incunabula jam foverent ; tum quod medicamina quædam leniora quamquæ antehac noverant medici indicarent, et syrupo vice mellis tum primum uterentur :

Denique morbos aliquos, variolas nimirum et morbillos, apud Arabicos demum scriptores offendimus, a quibus profecto tam habitus morborum quam curationes satis sagaciter ponuntur. Et ita aliquamdiu, procul a pristina sede, res medicæ agebantur. Brevi autem Europa bellis sacris tota fervescit, in quæ quantacunque insania homines rapiebantur (cum enim parum propitia semper scientiæ bella) tamen his plane concedendum est, quod literæ bonæque omnes artes nobis tandem peregre redierint. Ad hoc charta paulo post primum manufacta, arsque typographica ex cogitata studiis hujusmodi facultates alasque dedere.

His autem temporibus Judæi potissimum medicinam exercebant, ad quam quidem satis apte instructi videntur; utpote qui per cunctas terras divagabant, et linguam Arabicam callebant, in qua omnia de hac arte præcepta scripta fuerunt: quin imo revera accedit quod

veste Arabica indutos Hippocratem Galenumque recentiores primum intuebantur. Veruntamen adversus Judæos, sacerdotes soli ius suum antiquum in quæstum medicum asseruerunt; sed sive ibi non juxta valuerunt atque olim, quod ad sanandos morbos, incantamenta et deprecationes sacerdotiales, sive paululum nasutiores homines evaserunt, horum e manibus paulatim tota elapsa est, ne nimium esset iisdem tam vitio corporis quam labi animæ consulere.

Primordia denique seculi sextidecimi orbi affulserunt, et rerum gestarum memoriâ fulgent adhuc et semper fulgebunt: neque dum adeo laborabant Restoratores (quales vocantur) in bona studia recuperanda, fieri potuit quin medicina quoque faustioribus avibus progeretur. Etenim Græciæ incolæ qui, regno orientali perduto, in Italiam profugerunt, monumenta librorum veterum medicorum secum attulerunt, frivolis Arabicorum intaminata;

in quæ (auribus hominum brevi arrectis) prælectiones primum scholæ Salernitanæ, mox aliis Europæis, publice proferebantur. Quin etiam Collegia Medicorum cum Lenacer Londono, tum alii aliis locis, per id tempus moliebantur.

Verum postquam anatomia jam pridem in Italia culta erat, Bruxillæ tandem Vesalius quanti fuerant de hac re Galeni errores satis libere docere aggrediebatur. Sic primum lassita summa hujus auctoritas et jam non nihil fluxa, mox deprehenso ductu thoracico sanguinisque circuitu demonstrato, magis ac magis indies lababat. Ad hoc tum simul morbus Veneris omnes terras misere vastabat, qui, cum remedia omnia antiqua diu et penitus eluserat, argento vivo demum, quo usus est audacter Paracelsus, cessit. En quantum invicem et quam lætam victoriam de Galenicis Chemici quoque reportavere; modo etiam ars chemica rem plausibilem tandem spectans,

cuique homines ingenui majore honestate animos intenderent, existimationem atque studium quibus est digna, inter bonas artes, tum primum sibi vindicavit. Itaque deinceps (nimis ut mos est hominibus, si quando quid bene gesserunt, ubi desistendum est plane nesciunt) Chemia rerum humanarum sola potiebatur; quae quoniam alia tam pulchre detegebant, ad vivi corporis munia enodenda haud minus valere debuit.

Quod si verisimilia narrabant Chemici quam docuit olim Galenus, perperam tamen, ut plurimum, de his rebus disputabant, quamquam acie hercle minime vulgari sive acidum sive alkali, prout laboraret corpus, strenue increpabant. Ad summum, horum quoque, quemadmodum et antea Galenicorum, de statu humorum corporis totus sermo erat. Attamen utrius simul parti certamina mox indexere Iatro-mathematici, duce Descartes, qui fluidas corporis partes floccifaciebant, viribus

modo solidarum quam curiosissime perpensis, utpote in quas, aliquo in modo offensas, malum corporis omnigenum referri deberet : si quidem vero ex his peritissimi, et in rebus utique simplicibus, numeris rationem ineuntes, centuriatim aliquando, et si placet milliriatim sibi invicem dissensere, scrupulum merito injecere, an hujusmodi computationes (esto enim ipsa enunciatio satis stabilis) arti medicæ magis nōpere sint profuturæ. Hæc dum utrinque chemice mechaniceque agitarentur, Sydenhamus, Hippocrates nostras, exortus est. Illus-H tris ille, exemplaris hujus illustrissimi secta-tor, adeo in usum et observationem niteba-tur, ut siquid sibi ipse (ut fit) subinde finge-ret, placita omnia tam veterum quam recen-tiorum etiam nimis fastidivit. Dili-gentius autem morbos considerare, aptius ju-dicare, tempestius curare, nemo hominum unquam potuit ; næ summa semper medico-rum negotia : tum quod ad systemata, siqui-

bus sane opus est, quodvis tale adeo solute om
homini semper adhæsurum censebat, ut si
quando res postularet facile et statim rejice-
retur.

Jam inde post initum seculum sextum de-
cimum cum turba auctorum de rebus medicis
ingens est, quippe cuius pecoris plures quam dia
triginta millia (quorum perpauci ante hoc
tempus scripserunt) annumeravit Hallerus,
plerorumque opera temporaria fuerunt, eoque or
magis silenda quò continuo ad Stahlium et do
Hoffmannum perveniam, qui demum aliquid m
novi in medicina protulere.

Postquam enim scientiæ chemicæ totum
corpus denuo formavit, et non sine fructu,
Stahlius aliquid tale in medicina quoque mo-
liebatur. Et tum primum probe animadver-
sum est corpus animale legibus peculiaribus
et sibi propriis utique obtemperare, ideoque ib
functiones ejus ex reliquarum rerum habitu
et regulis perparce esse judicandas. Itaque

repudiatis omnibus de hac re hactenus conjectis, novam sibi Stahlius contexuit doctrinam, cuius hoc fundamentum, hæc medulla fuit, eam animam quæ corpori inerat pro salute ejus assidue excubare, ejusque omnia negotia certo consilio regere et ordinare, penes se nimirum officia ejus omnia tenentem.

Neque longe secus Helmontius de Archæi sui facultatibus jam hallucinatus erat. Quod recte judicavit Stahlius quo leges rerum inanimatarum, quod ad munera corporis viventis attinet, ineptas habuit, abunde patet ; verum is tandem nihil præter verbum præbuit quo proprietas ista designaretur, ratione ejus et normis neutiquam expositis : præterea artem medicam non misere inopem reddere talis doctrina non potuit, et medicos a remediis optimis (quod revera accidit) pertinaciter aversatos. At interibi Hoffmannus disciplinam veterem methodicam (quod quidem frustra conati erant antea Alpini Baglivique) modo ali-

qua ex parte temperatam, redintegravit ; et
hæc profecto ima sedes est nostræ ut hodie
extat scientiæ. Quod si denuo solidorum tan-
tum corporis ratio habebatur, solidum tum
demum duplex esse oportuit ; siquidem quod
commune erat sive mortuo sive vigente cor-
pore, id simplex, quod vero viventi proprium,
id vivum solidum vocabant, et ex posteriore,
prout male se habeat, quemlibet fere mor-
bum pendere putabant. Huic disciplinæ as-
sensores *Solidistæ*, Stahlianæ contra *Animistæ*
nuncupantur. Dum autem hæc aguntur, Boer-
haavius omnes in medicina systematum con-
ditores tam veteres quam recentes summo
studio evolvit ; tum excerptendo pro utriusque
meritis, purgando, conciliando, conjungendo,
molem medicinæ tandem fabricavit, quæ diu
neque immerito, ut temporibus illis, scholas
tenebat. Quod ad explicationes denique mor-
borum quas ille posuit, sufficiat prædicare

28

DE REI MEDICÆ

eum ad corporis humores atque solidum sim-
plex nimium semper spectasse.

Istiusmodi ubique fere vigentibus doctri-
nis, placita quibus modo innixus est Hoffmann-
nus jam primum Edinburgi proposita fuere;
quorum inter patrones ascribitur inclytum et
Culleni nomen, qui cum tot et tanta in medi-
cinam contulit beneficia, non minimum erat
quod eam rem summa sua auctoritate adjuva-
ret. Postremo sententiæ Stahlii et Hoffmanni
in meliorem ordinem redactæ, variisque colli-
gatae et excultæ modis, omnium hodie sunt
receptissimæ, plausibilioramque doctrinam de
his rebus certe præbent quam hucusque ho-
mines unquam sunt potiti. Satius enim procul
dubio est viribus motricibus corporis quam
humoribus morbos vitio dare; quod sicubi id
ad rem absolvendam parum valeat, continuo
ad vim medicatricem naturæ confugiatur, cui
scrupulum omnem tandem concedamus.

Nihilominus tamen confitendum est, nullo

ævo defuisse unquam systema, cui medici
tum perinde credidere ac nos hodie huicce
invicem credimus; quod fortasse ideo solū
optimum est quoniam nobis proximum, mox
pariter ac alia repudiandum. Itaque disputa-
tionibus hujusmodi caute admodum fides est
adhibenda, et bene est quod talibus res ipsa
parum omnino eget. Ut ut enim prius ratio-
cinemur, ubi ad curationem ventum est, ex-
perientiæ utique erit parendum; sub omni-
que omnium sententia morbos ex signis suis
noverunt semper medici, et his semper reme-
diis usi sunt et utentur quæcunque usus ipse
comprobaverit. Quod Pythagoras, Hippocra-
tes, Aristoteles, Galenus, quod Democritus,
Asclepiades, Themison, quod Chemici et Ma-
thematici, quod denique Stahlius Hoffman-
nusque sibi imaginati sunt (licet hominibus
aliquatenus ratiocinari necesse est) hæc omnia
minus certa semper sunt habenda; sin etiam
certa, fortasse rei ipsi parum profutura. Pru-

dentis igitur erit tum demum imaginatione versari, cum saltem nihil detrimenti afferre poterit; et imprimis cavere nequando propria morborum negotia, propter systematum (quod aiunt) illecebras, minima ex parte prætermittat.

FINIS.

deutis latum est ut summa impariatio
versus cum effemini genitivi sufficie
poterit; et impensis creare redans quo bie
plus importium negotios, ploriter sacremetum
(doue sicut) illacepsis, tumura ex parte plus
terribiliter

DISPENSATIO MEDICA

TO MARYO.

АНИЭТУ АГАНЯЯОМЭН

СЕВЕРСКИЙ